

sito. Ob peccata nostra cecidimus in profundum deferendi mox ad abyssum inferni. Vidit hoc Filius Dei, qui solus juvare potuit; expoliavit igitur se et exinanivit, sola nostri commiseratione et amore tractus, et natus usque ad nos, sed tantum erat pondus peccatorum nostrorum, ut ipsummet liberatorem demergeret et mori cogeret: nos interim liberat sumus. Quid tibi nunc videtur? Non occidisti Christum tu? Quare o bone Jesu, si nos sumus qui te in has angustias adduximus et in crucem istam egimus: quid quæso tibi debemus liberatori nostro? Imo quid non debemus? Nil aliud a nobis petit, quam ut vitam hanc nostram conservemus, quam tanto labore nobis peperit. Nil aliud ergo vult quam salutem tuam: hoc si feceris, videbitur sibi Christus satis recreatus, et nil aliud a te petet. Nonne igitur rem tuam justam, tam tibi salutarem facies? At si hoc non velis, audi quid dicat Christus: *Si in viridi ligno hæc fiunt, quid fiet in arido?* Si Filius Dei, innocens, sanctus, virtutum omnium floribus exornatus, ob alienum peccatum ita tractatur a Patre, quid fiet ligno arido, homini ingrato, inutili, peccatori ob propria peccata? Audivimus Christi supplicia et cruciatus: quid erit gehenna? Et si hæc acerbior Christi passione non esset, adde solam æternitatem, quid erit illa pœna? Tres horas in cruce pendit Christus, et propterea non omnes merito obstupescimus, merito terremur: quid erit in inferno pendere non tres horas, non tres annos, non ter centum, non ter mille, sed sine fine? Neque vero tibi persuadeas, Deum esse mitem et clementem. Quam enim sit mitis et elemens, veni accede et palpa; vide in cruce ejus Filium, qui enim Filio non peperit ob aliena scelera, tibi pareet habenti propria. Mitigemus igitur, mitigemus passionem Christi nostra penitentia, ne æternum pati mereamur.

## CONCIO II.

FONTES DOLORUM CHRISTI EXTERNORUM ET INTERNORUM.

- I. Dolorum externorum fons Christi charitas. — II. Puritas dolorum. — III. Corporis Christi complexio. — IV. Duratio passionis.

## THEMA.

*Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum aut baptismum, quo ego baptizor, baptizari?* Marc. X.

Duplici nomine Christus suam appellavit pas-

sionem, baptismi nimirum et calicis. Baptismum eam vocavit Luc. XII. cum dixit: *Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor donec perficiatur?* Calicem vero Matth. XXVI. cum oravit ad Patrem: *Pater mi, si possibile est transeat a me calix iste.* Utrumque vero simul expressit. Marc. X. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, aut baptismum, quo ego baptizor, baptizari?* Utraque figura pulcherrime nobis describit Christi passionem. Baptismus erat, quia Christum undique sanguine aspersit, uti baptismus aspergit aqua; calix erat, quia amara potio; baptismus erat, quia scelerum nostrorum sordes, quas sustulerat in se Christus, abluit; calix erat quia velut medica potio salutem humano generi, quod in Christo capite continebatur, ægrotanti, attulit; baptismus erat, quia tam prompte et libenter Christus ad passionem ivit, ac si ad balneum iret; calix erat, quia etiam hilariter et cum appetitu dolores mortis amplexatus est. Sed aliud adhuc mysterium expressit his vocibus Christus. Novimus baptismum externe corpus afficere, calicem vero interne, et in ipsa viscera ingredi. Itaque baptismum appellavit Christus suam passionem, ut hac voce exprimeret dolores suos externos, qui corpus cruciaturi erant; calicem vero ut internos, qui animam torturi. Utraque ex parte adeo patiebatur Christus, ut difficile sit judicare utrum magis passus sit. Id quod clarius intuebimur, ubi causa utriusque passionis exposuerim.

Gen. II. legimus quatuor flumina irrigasse totum paradysum, id est, Phison, Gehon, Tigrim, Euphratem. Simili modo quatuor flumina irrigaverunt paradysum Christi duplicem, corpus scilicet et animam ad eam fecundandum ita ut gloriam sibi et nobis pareret: sunt autem quatuor fontes dolorum.

I. Doloris externi fons primus est charitas Christi immensa, quæ ipsum impellebat ad patiendum. Et primo charitas erga Deum, cujus honorem maxime zelabat, ideoque eo offenso, non sufficienter tantum sed copiosissime satisfactionis cupiebat ac studebat, ita ut nihil amplius satisfactionis faciendæ superesse aut exigere a nobis divina justitia posset, nullaque deinceps inimicitia inter nos et Deum causa remaneret. Ad hæc sciebat Christus nihil esse sub cælo Deo gratius et magis honorificum quam pro ejus amore extrema quæque pati, siquidem finis totius vitæ christianæ et servitii divini est charitas; hæc autem ostenditur in passionibus, quando quis pro Dei gloria pati gaudet. Hinc igitur ardentissime cupiebat amori suo erga Deum immenso satisfacere, eumque tormento-

rum omnium perpessione demonstrare. Charitati suæ proportionatam habebat potentiam ad patiendum, immensam charitatem, immensam et potentiam. Unde quia sciebat humerorum suorum firmitatem, quantum oneris ferre possent, idcirco eos onerari voluit, quantum onerari ab hominibus crudelissimis, et dæmonibus omnibus poterant. Hinc ille flagellorum excessus supra præscriptum in lege numerum, qui erat quadraginta. Hinc illud diaboli inventum, corona videlicet spinea, prius inaudita. Imo hinc Christus his non contentus, ipse sibi dolores addidit, uti agoniam et sudorem illum sanguineum vi thronei doloris expressum tamquam myrrham primam, antequam traderetur. Fuit quidem in sanctis multis maxima et immensa charitas et patiendi cupido, sed non fuit par potentia; ideo non est passus Deus tentari eos supra id, quod poterant. Aliter res habet in Christo ut diximus. Unde optime in Christum quadrat allegorice benedictio illa Issachar, Gen. XLIX. (prout exponitur a S. Ambrosio) *Issachar asinus fortis* (Hebraice, *asinus osseus*) *supposuit humerum suum ad portandum.* Asino osseo comparatur ergo Christus ob præcellentem fortitudinem, et hic *subjecit humerum*, inquit Ambrosius, *ad laborandum, subjiciens se cruci ut nostra peccata portaret.*

Deinde charitas erga homines, quorum salutem maxime sitiebat, ideoque non sufficiens tantum pretium pro illis redimendis, sed superabundans etiam quantum millenis et amplius mundis satis esset, exsolvere cupiebat. Intendit Christus Dominus per suam passionem homines bonos, sanctos et virtutum amantes sui que similes efficere. Vidit etiam quanta esset necessitas et utilitas præeundi nobis in militia spirituali ad edomandum tyrannum illum nostrum, carnem scilicet et amorem sui ipsius inordinatum. Vidit quam inique dominaretur orbi diabolus et quod commodius ac gloriosius vinci non posset nisi per passionem. Vidit denique ingentem fructum, innumerabilium sanctorum cumulum ac segetem, quæ ex semine passionis ejus proventura esset. Hæc inquam omnia Christi ardentem amoris fornacem inflammarunt, ut hinc facile colligere possimus, quid dolorum et tormentorum experiri voluerit. Si enim sancti viri pro lucrando proximo tanta pati voluerunt, Paulinus vendi barbaris ad redimendum viduæ filium, S. Franciscus non semel ad barbaros navigavit ut per martyrii coronam eos lucrificeret, etc. quid non fecisse cogitamus Christum pro lucrando mundo? Hanc ob causam dixit David, Psalm. CIX. de Christo, quod velut viator

*de torrente in via* bibiturus esset. Scimus enim viatorem non bibere de flumine aut torrente, nisi magno æstu calentem maximeque sitiens. Sic ergo Christus in terra ambulans adeo nostram sitiebat redemptionem, ut cum primum in torrentem passionis incideret, non posset sibi temperare, quin avidissime biberet, labores et dolores velut aquam sapidissimam appetens, ad restinguendam ingentem sitim suam, quæ tanta in eo fuit, ut nec obrui quidem fluminibus posset; ideoque fonte aut puteo non contenta, torrentem quodammodo ipsum absorbere conaretur.

II. Puritas dolorum, quod nimirum patiebatur absque consolatione. Hoc præsignatum est in eo, quod Levit. II. vetatur quicquam mellis adoleri in sacrificio, quia in sacrificio crucis omnis suavitas defutura erat. Quod enim contigit civitati Bethulæ, cum omnes fontes circumjacentes munirentur custodibus jussu Holofernis, ita ut incolæ ne guttam quidem aquæ deferre ad civitatem possent, adeoque in extremas redigerentur angustias; quod contigit Jerosolymæ, cum jussu Titi undique muro cincta est, ut nulla ex parte quidquam subsidii in eam inferri, nec ullus inde elabi posset; hoc accidit Christo patienti: omnes enim portæ per quas aliquid solatii poterat recipere, tunc ei præclusæ erant. Quantus fons consolationis erat Christo mater ejus! Sed hic ei tunc præclusus erat; siquidem ab ejus præsentia sub cruce non modo nil refrigerii, sed plus potius doloris cepit. Quantus fons dilecti ejus discipuli! Sed hi tunc a longe steterunt et eo relicto fugerunt. Quantus fons beatitudo sanctissimæ ejus animæ! Sed hic adeo tunc oclusus erat, ut ne gutta quidem dulcedinis in partem ejus inferiorem descenderet, Quantus gaudiorum fons, cœlestis Pater! Sed ab hoc derelictum se conquestus est. Et hinc ejus querelæ per prophetas editæ: *Factus sum sicut homo sine adjutorio*, Psal. LXXXVII. *Infixus sum in limo profundi et non est substantia*, id est basis, cui innitar, Psal. LXVIII. *Circumdederunt me dolores mortis*, Ps. XVII. q. d. quocumque aspicio, nihil nisi dolores meros et acutissimos video. *Torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum: circumspexi et non erat auxiliator, quæsi et non fuit qui adjuvaret*, Isa. LXIII. Hoc idem significabat sacrificium duorum hircorum pro peccato, Lev. XVI. quorum alter vivus et liber dimittebatur in solitudinem, alter vero retentus mactabatur. Hic humanam, ille divinam Christi significabat naturam, teste Cyrill. libr. IX. contra Julian. Theodor. etc. Passionis ergo tempore, divina Christi natura libera evasit, quia pati non potuit,



numanam vero reliquit solam in macello; non quoad nexum unionis, nec quoad præsentiam vel benevolentiam, sed quoad subsidii et consolationis exhibitionem. Cogita nunc quæ tibi foret afflictio, si comitantibus te amicis tuis, optimis, suavissimis, tandem forte in latrones incidens ab omnibus desereris donec necareris? Hoc evenit Christo, Deo sic ordinante, ipsoque Christo ratum habente. Hinc illud discrimen inter martyres, et Christum quando ad passionem ibant. Legimus enim passim illos quidem hilares et lætos fuisse, quandoque cecinisse et tyrannis insultasse cum ad martyrium ducerentur et in ipso cruciarentur: Christum vero scimus cum ad passionem pergeret, cœpisse pavere et contristari, cum in ipsa etiam cruce cum lacrymis orasset, conquestum esse sese a Patre derelictum. Ratio enim est, quia miscuit illis Dominus calicem passionis melle consolationis et suavitatis; Dominus autem purum potum exhaurire voluit et hujusmodi temperamentum non admisit: quia nimirum propria voluntate hunc calicem sibi infudit, quod non fecerunt martyres. Quod si consolationem ei admiscisset, ex hac parte pati voluisset, ex illa noluisse, quod est absurdum, ut argumentatur Granatensis, l. III. introd. ad symb. Qui enim pati quærit, consolationem quomodo quærit?

III. Tenerrima corporis Christi complexio. Constat enim imprimis nobiles homines et quicumque sunt delicati, longe vivacioribus esse sensibus, vehementius apprehendere et acrius sentire dolores ac tormenta. Detur nobili industrius alicujus rustici, de rudi lino textum, quam ægre id gestabit? Rusticus sustinere potest frigora, quæ tenerum adolescentem enecarent, etc. Atqui corpus Christi, opera Spiritus S. e purissimo Virginis sanguine mirabiliter confectum, optimæ et delicatissimæ complexionis fuit: (solent enim opera quæ immediate a Deo fiunt, esse in suo genere perfectissima) et inde venit ut nullam unquam ægritudinem Christus sit expertus. Patet etiam præstantiori animæ præstantiores esse vires ac sensus; unde insectis exiguus est sensus cum patiuntur: bruta etiam omnia tormenta non apprehendunt; in hominibus etiam qui minus intellectu vigent, minus apprehendunt sibi decreta supplicia, minus etiam percutiuntur infamia, injuriis, etc. Quoniam igitur Christi anima nobilissima fuit, hinc vires etiam et sensus habuit vivacissimos, indeque mortem et paratam sibi supplicia longe vehementius apprehendit et sensit illata, quam ullus mortalium apprehendere et sentire potuisset. Ob hanc causam non immerito de Christo accipimus, quod ad lit-

teram dicitur de David, qui Christus typus erat, II. Reg. XXIII. *David sedens in cathedra, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.* Terebo mollissimus vermis est, durissimum tamen lignum perforat et comminuit in pulverem minutissimum: unde nihil ea mollius, cum tangitur, nihil Jurius cum tangit. Christus igitur in cathedra crucis sedens ejusmodi vermiculus mollissimus et interim durissimus fuit: mollissimus ob complexionis teneritudinem ac bonitatem, ut diximus. Cogitet nunc aliquis, quomodo hic vermiculus in cruce confixus sese præ doloribus nunc in hanc nunc in aliam partem contorsit. Durissimus vero non tantum ratione fortitudinis, qua tunc uno impetu contrivit aereas potestates, et comminuit jugum cervicibus nostris impositum: sed etiam quia vires suas integras et robur ad patiendum conservare voluit usque ad finem vitæ. Homines alii per ægritudinis præcedentis vim paulatim viribus deficiunt vocemque amittunt, ac proinde sensibus hebetatis morborum vim minus paulatim sentiunt; sæpe etiam qui supplicii afficiuntur, ita a sensibus abalienantur, ut pene insensibiles videantur (præ metu et consternatione scilicet; seu, ut dicere solemus, semimortui): sed non ita Christus, qui usque ad exitum animæ de corpore retinuit tantum robur, ut ipse etiam dolor integre sentiretur a principio passionis usque ad finem. Colligimus id ex eo quod prægrandem suam crucem propriis extulit humeris. Idem testatur clamor ille magnus, quo edito expiravit. Sic enim S. Lucas ait: *Clamans voce magna*: et Marcus: *Emissa voce magna expiravit.* Non solent moribundi, qui paulatim viribus destituuntur, exclamare; sed illi tantum qui repente et violenter sano adhuc corpore necantur. Et ita mortuus est Christus; quæ causa fuit ut centurio, videns quia sic clamans (præter naturam) expirasset, hinc agnoverit esse Filium Dei.

IV. Duratio passionis et continuatio variorum suppliciorum ac tormentorum. Non enim repente peracta est aut modicum duravit, quomodo aliorum supplicia: neque ab ipsa crucifixione in monte Calvarie cœpit, sed a sudore sanguineo in horto Gethsemani, et duravit usque ad horam nonam sequentis diei, adeoque per horas octodecim ab hora tertia noctis usque ad nonam sequentis diei. Neque unius tantum tormenti aut supplicii fuit ea duratio, sed diversorum et plurimorum; nulla enim Christo requies data, sed de uno tormento trahebatur ad aliud. Decretum enim erat dæmoni, omnibus eum armis et viribus suis invadere ut quem astu et blanditiis superare et vel ad levissimum peccatum trahere

non poterat, tormentis quateret. Scimus quomodo olim dæmon potestate a Deo accepta sævierit in S. Job, ut vel unicum impatientiæ vel maledictionis verbum ab eo exprimeret. Multo sævioribus machinis adortus est Christum, utpote in cuius animam etiam seu vitam potestatem acceperat: ut vel unum peccatum impatientiæ, vanæ gloriæ aut similium eliceret. Idem enim dæmon, qui *immisit in cor Judæ*, teste evangelista Joan. XIII. ut Christum traderet, immisit etiam in cor Judæorum, ut eum constanter et gravissime accusarent: in cor judicum, ut eum iniquissime et morte pessima condemnarent: in cor carnificum, ut immanissime torquerent. Quemadmodum enim Zeuxis pictor, teste Plinio, l. XXXV. cap. l. IX. facturus imaginem Junonis in celebri ejus templo statuendam, quinque elegit virgines, sibi que proposuit, ut quod in quaque laudatissimum esset, penicillo suo in Junonis effigiem transfunderet: sic etiam dæmon quidquid suppliciorum, injuriarum et dolorum in sanctis aliis vidit, id totum in Christo congressisse videtur, irrisionem ex Noe, crucis gestationem et immolationem ex Isaac, venditionem ex Joseph, totius corporis laniationem ex Job, oculorum velationem ex Tobia, flagellationem ex Hebræis sub Pharaone, etc. ut merito Christus *vir dolorum* vocetur, Isa. LVIII. Atque ut videamus Christi passionem non fuisse supplicium aut cruciatum unum, sed potius amarissimam quamdam compositionem plurimorum, imo innumerabilium cruciatuum, idcirco in præsentiarum potissimos tantum et gravissimos cruciatuum compendio (nam alibi fusius eos exposui) audiemus ex P. Leon. Lessio, qui eos solide et nervose more suo expendit. l. XII. de perfectionibus divinis, c. XVII.

Ergo dolor corporis in Christo provenit ex læsione ipsius, quæ extrinsecus multis modis inferebatur, primo, ipsa ligatione et vinculorum constrictione. Captum enim sævisse funibus contrinxerunt, ne posset effugere, experti enim erant ipsius potentiam, neque facile esse ipsum vi retinere: et Judas monuerat ut eum tenerent et ducerent caute. Deinde odium et rabies animi qua in Dominum ferebantur, eos impellebant, ut statim ab initio comprehensionis, tantum mali quantum licebat illi inferrent. Itaque validis funibus, et etiam catenis (ut valde credibile est) eum arctissime vinxerunt, brachiis post tergum colligatis, collo similiter et medio corpore acriter constricto. Quantum autem ea res dolorem adferat, testantur aliquando rei extremo supplicio afficiendi, qui interdum tantum afflictionis ex ipsis vinculis, quantum ex ipso genere mortis, ad quod damnati sunt, sentiunt. Accedebat rap-

tatio, impulsio, protrusio; dum huc illuc magno furore per vias impellitur; dum ex horto ad Annam, ab Anna ad Caipham, a Caipha ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, at Herode rursus ad Pilatum, ab hoc ad crucem rapitur. Hæc enim arcte vincto supra modum dolores exasperabant.

Secundo, flagellatione. Fuit enim Dominus longe sævius flagellatus, quam solent crucifigendi. Jusserat id Pilatus, partim ut gratificaretur Judæorum primoribus, quos sciebat summa ipsius invidia flagrare, ac proinde hoc illis fore longe gratissimum; partim ut tam crudele spectaculum ipsorum odia exsatiaret, et furem poscentium illum ad mortem compesceret. Itaque immanissimam et quæ instar mortis censeretur, quæve major, salva vita, vix posset sustineri, censuit flagellationem adhibendam: sicque dum unam mortem nititur a Domino avertere, geminam ei irrogat; et illa aliqualis benevolentiae judicis species, versa est ei in augmentum supplicii.

Quantam autem doloris acerbiteriam Dominus ex illa flagellatione sustinuerit, quis æstimet? Sane dubitandum non est, quin longe graviolem dolorem senserit, quam quivis aliis mortalium ex hujusmodi supplicio perciperet. Quo enim temperamentum corporis est nobilium, et major sensuum vigor, eo quoque dolor [ex illato supplicio] est acerbior. Hinc videmus nonnullos, quibus tangendi sensus est acrior, ex tactu rei calidæ, vel ictu flagelli, intolerabilem percipere dolorem; alios, in quibus iste sensus est stupidior, ex iisdem rebus exiguum vel pene nullum. Quare cum ille sensus in Domino ob summam perfectionem temperamenti et spirituum fuerit exactissimus, necesse est dolorem quoque fuisse maximum, qui homini tali genere supplicii possit irrogari. Unde valde credibile est fuisse majorem et acriorem, quam unquam aliquis martyrum pertulerit. Et si enim supplicium ignis videatur immanius quam flagellorum, tamen potest, in aliquo tanta esse sensuum acrimonia, ut ipsi sint acerbiora flagella quam aliis ignis incendia. Accedit, quod doloris acerbitas ex flagellis vel igne in aliis si continetur, obstupefaciat sensum, ita ut post breve tempus non tantopere percipiatur; idque partim evanescentibus spiritibus in parte quæ affligitur, partim concurrentibus ad cerebrum humoribus et principia nervorum occupantibus, ut spiritus sine quibus non est sensus diffundi nequeant. Quam ob causam apoplectici et comate affecti nihil sentiunt. At in Domino neutrum horum fuit: perstitit enim ille sensuum vigor ab initio usque ad extremum, ipsa anima sua potentia vel divinitate corpus illud



ita regente, et interius conservante, ut plura pati posset : cujus signum est, quod clamans expiravit. Non ergo sensim ita extreme debilitatus est tormentis, ut alii solent, sed retinuit vires aliquas supra naturæ conditionem, easque dum tempus fuit, simul effluere cum anima permisit. Quod etiam significat Dominus cum ait : Nemo tollit eam (animam a me), sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam. Vires ergo retinuit et vigorem sensuum usque ad mortem, sicque non minus supplicia in progressu et in fine quam in principio sensit, sed toto tempore passionis summos et acerrimos dolores ex tormentis illatis percepit. Unde merito Isaias : Vidimus eum despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. Et Psal. XXXVII. Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.

Tertio, coronatione. Domino enim flagellis immanissime toto corpore conciso, et sanguine manante, ne vel caput doloribus liberum relinqueretur, coronam ex spinis acutis et robustis contextam (paliurum quidam fuisse putant, alii spinam marinam, horrendis utraque aculeis) imponunt et magna vi in caput adigunt, ut firmiter adhærescat, qua in re acerrimi fuere dolores, et summa ignominia; dolores, quia cutis capitis totumque pene cranium in orbem eum supra frontis parte spiculis coronæ confixa fuere et perforata. In istis autem locis sensus est acerrimus, ut experientia constat, cum vel leviter punguntur. Quanti igitur dolores ex tot et tantis puncturis in capite tam sano, tam nobili temperamento, tanto sensuum vigore prædito! Accedebant percussiones sacri capitis quibus aculei illi magis magisque adigebantur et infigebantur: Pereutiebant enim arundine caput ejus. Jam de ignominia quid dicam, nulla enim animo major comprehendi potest quam quæ Domino hic irrogata. Coronatur rex cæli et terræ ad publicam infamiam tamquam iniquus et ambitiosus regni temporalis aucupator: coronatur spinis ad dolorem, quasi nulla alia corona dignus: induitur veste coccinea veteri ac sordida veluti regali amictu: et inseritur manui arundo in speciem sceptri ad augmentum dedecoris. Denique tamque regio habitu pulchre instructus, per summum ludibrium adoratur genuflexo eum amara salutatione, Ave rex Judæorum: et mox ad extremum contemptum et vilipensionem conspuitur arundine in caput, cæditur alapis, protruditur pedibus, illuditur, blasphematur, et infinitis sannis, irrisionibus, sarcasmis, cachinnis cum ingenti strepitu et insolentia exa-

gitatur, tamquam omnium mortalium sceleratissimus, ambitiosissimus et vilissimus. Et quidem videntur hæc omnia milites suo arbitratu, Judæorum instinctu, absque iudicis sententia fecisse: nimirum tam vilis tamque nihil aestimabatur, ut contra morem omnium tribunalium, libidini et licentiæ militari relinqueretur; quasi crimen ipsius tam grande esset ut nihil atrocitatis vel ignominiae posset in eum a quoquam effundi quod non mereretur, magnitudine sceleris omnem supplicii et dedecoris modum excedente. Quam vere de se per prophetam dixit: Ego vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Quis enim hominum post homines natos ita fuit aliquando tractatus? Quis ita arbitrio carnificum concessus? Quis unquam reus in ipsa suppliciorum acerbitate tam inhumaniter illusus, irrisus, exagitatus, omnes enim tum misereri potius et compati quam illudere solent. Sed voluit Dominus, ut nobis præberet exemplum patientiæ, omne tormentum pati, et ut ostenderet nobis immensitatem nostrarum offensionum supra omnem mensuram representare satisfactionem.

Quarto, crucis bajulatione. Hæc fuit imposita et ad ignominiam et ad tormentum. Ad ignominiam; quidem potest esse ignominiosius, quam damnatum ad infame genus mortis cogi etiam ipsum supplicii instrumentum suis humeris deferre, nulla pœnarum præcedentium habita ratione, quasi ipse indignus sit, qui vel a iumentis in ea re juvetur, aut instrumentum destinatione supplicii et contagio personæ adeo maledictum et contaminatum, ut nemini præter sontem conveniret illud attingere. Unde etiam cum Dominus sub pondere fatisceret, nullus Judæorum admovit manum, tamquam metuens pollui ab infami ligno; sed quemdam gentilem Simonem Cyrenæum coegerunt post Dominum deferre. Et apud Romanos non nisi sceleratissimis servis imponebant, quasi nemo tanti dedecoris nota esset afficiendus, nisi in quo summa conditionis vilitas cum summis sceleribus conjuncta foret. Idem ipsi voluerunt hac ratione significare in Domino. Summum itaque contemptum, summum dedecus continebat hæc bajulatio.

Ad tormentum: ingens enim tormentum est, corpore flagellis secto, sanguine defecto, et capite tot spinarum aculeis confixo, tanto pondere asperæ trabis onerari cogique tam longo itinere eam suis humeris deferre neque lento passu incedere licebat, aut quietem subinde respirandi causa capere, sed vel fustibus vel stimulis (ut apud Romanos servi cum ad crucem adigebantur) impellebatur, vel funibus raptabatur, vel

pedibus calcibusque protrudebatur ad prope-randum et sequendum comitatum. Ibat igitur mansuetus ille agnus sudore et sanguine madens, dehiscentibus præ labore et corporis contentione vulneribus, ibat tacitus et anhelus, mole crucis incurvatus, et in terram depressus, in saxa et aspera offensans, et interdum sub pondere incidens, toto corpore graviter colliso. Ibat inimicis cinctus, sicut ovis lupis ipsi plaudentibus et iusultantibus, crudelitate militari Dominum impellente, protrudente, captante, et pugnis ac fustibus male mulctante. Denique tanta fuit hæc afflictio ut cum ulterius procedere non posset, alium ei substituere sint coacti, non misericordiæ affectu, non aliquo humanitatis sensu, sed ne viribus plane exhaustis crucis supplicium sustinere non posset: nimirum ut hac brevi relaxatione ad productius et majus supplicium servaretur, quo rabies illa immensa, qua in ipsum ferebantur, posset exsatiari.

Quinto in ipsa crucifixione. In hac quoque et summum probrum, et summum tormentum ut merito censeretur possit omnium suppliciorum maximum. Quod enim ad probrum attinet, nullum supplicium magis infame aut magis abominandum; nam et apud Judæos maledictus, id est, detestandus et execrabilis erat Deo omnis qui pendet in ligno, et apud Romanos non nisi infimæ sortis hominibus, id est, servis, iisque extremis sceleratis, erogari solet: unde et supplicium servile vocatum est. Tormento quoque et sensu doloris cætera superat: etsi enim pœna ignis videatur acrior, crucis tamen longe est diuturnior ut hac ratione etiam multis ignibus æquari possit. Hinc veteres hoc supplicium peculiariter vocarunt summum et supplicium supremum (quasi majus illo reperiri nequeat) et ignis supplicio prætulerunt. Dominus igitur noster, qui omnium probra et culpas in se transtulerat, ut copiosum exhiberet lytron, elegit supplicia et ad contumeliam probrosissima, et ad sensum doloris asperrima. Vestibus igitur in rupe Calvariæ publico suppliciorum loco coram infinita hominum multitudine rursus exuitur, nudus cruce imponitur, raptatur, extenditur, manus clavis validis vi malleorum transfiguntur, rumpuntur nervi, venæ arteriæ, et una cum carne in foramina crucis adiguntur; fit magna sanguinis effusio, et brachiorum violenta ex nervorum punctione convulsio. Hinc venitur ad pedes, attrahuntur injecto fune magna vi ad foramen paratum, fit corporis totius valida extensio, apparent costæ et ossa corporis divulsa, dissiliunt sectæ cutis et carnis vulnera, rursus sanguinis copia effunditur, tandem malleorum ictibus sa-

cri pedum tori clavis transverberantur crucique affiguntur abruptis una cum carne nervis, venis, et arteriis, quorum ibi præcipuus concursus. Denique in altum erigitur et solo non sine ingenti concussione depangitur, sicque tres horas colluctans extremis illis tormentis vivus persistit. Quis aestimet doloris, quem Dominus hic sustinuit, immensitatem: nam præterquam quod in manibus et pedibus maxime sensus, ob nervorum coitionem, vigeat, hæc non tam fuere incisa, quam plane disrupta et divulsa et simul atrocissime compressa et affixa. Multo autem major est dolor in diruptione et compressione quam in incisione. Deinde hic dolor pondere corporis assidue deorsum trahente, factus est sensim etiam auctior. Quo enim quis diutius pendet, etsi non perfossus clavisque affixus, sed solum ex brachio ligatus, hoc majores sentit dolores, adeo ut tandem fiant intolerabiles; ut ex tortura eorum constat, sic enim malefici torqueri solent, ut crimen vel socios fateantur. Quantus ergo dolor erit manibus pedibusque confixis, disruptis, affixis et appressis immitti ligno, præsertim in tam sano corpore, in tam nobili corporis temperamento; tantaque sensuum perfectione et vigore? Accedit vulnerum totius corporis concisi divisio, apertio et renovatio: accedunt spineæ coronæ ad crucem offensiones, quibus aculei impulsu latiores et profundiores fecere puncturas: denique totius corporis instar chordæ in arcum valida extensio, ita ut omnia ossa testimonio prophetæ, dinumerari potuerint, quæ extensio vel sola ad summum tormentum sufficit, ut equulei testantur. Hos omnes dolores simul sustinuit et quidem pro inimicis et iis ipsis qui illos irrogabant non ut ab illis aliquid commodi perciperet, sed ut debitum eorum, quod illi solvere non poterant, penderet, et chirographum, quo morti et inferno obstringebantur, deleret, ut ab exitio æterno, cui jam pridem addicti erant, eximeret, et vitam, salutem, ac gloriam sempiternam conciliaret. Quid ad tantam benignitatem, et ad tam inauditam et ineffabilem misericordiam addi potest, per quam non solum infinita mala a nobis depulsa, et infinita bona procurata, sed etiam tam miris tamque difficilibus modis cum tantæ divinitatis exinanitione, et ut ita dixerim, incommodo, cum tantis laboribus, doloribus, ac divinorum bonorum expensis, exhausto in id pretio immenso, vita nimirum et sanguine Filii Dei, idque pro ingratis et inimicis?